



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

4. S. Irmina, Dagoberti I. Francorum Regis filia, dat S. VVillibrordo, Episcopo Vltraiectino, medietatem Epternaci opidi, in Ducatu Lutzeburgensi siti, itemq[ue] basilicas à se ibidem aedificatas, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT IV.

S. Irmina, Dagoberti I. Francorum Regis filia, dat S. Villibrordo, Episcopo Ultraiectino, medietatem Epternaci opidi, in Ducatu Lutzeburgensi nunc siti, itemq, basilicas à se ibidem adificatas, cum varijs pradijs, anno 698. aut 699.

Domino sancto ac venerabili in Christo patri WILLIBORDO Episcopo IRMINA, in Christo Deo sacra Abbatissa.

Dum ab omnibus non habetur incognitum, quòd ego, inspirante misericordia Christi, pro consilio virorum Apostolicorum, patrum nostrorum, domini Basini & domini Leotyvini, Episcoporum, seu & pro consensu fororum nostrarum Christo seruientium, quæ nobiscum sunt congregatæ, basilicas in nomine S. Trinitatis, vel in honore gloriosissimæ virginis Mariæ, genitricis Domini nostri Iesu Christi, seu & beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, vel cæterorum Sanctorum,

In villa mea propria, quæ vocatur EPTERNACVS, sita super fluuio Sura, seu & monasteriolum ibidem ad monachos peregrinos conuersandum, vel pauperes ibidem alimoniam petendum, pro diuino respectu, vel pro animæ meæ remedio construxi; & dum sanctitas & dilectio vestra erga me vel monasterium meum assidue agitur:

Igitur decreui apud animum meum, vt vos de rebus meis proprijs in aliquo consolari deberem; quod ita spontanea voluntate feci. Idcirco dono vobis, donatumque esse volo, memoratas basilicas Sanctorum, ad gubernandum vel dominandum.

Itemque dono vobis ad supradicta loca Sanctorum, portionem meam in ipsa villa EPTERNACO, hoc est, quantumcumque ex successione paterna vel materna mihi obuenit, tam in domibus quam ædificijs, mansis, mancipijs, vineis, terris, campis, pratis, siluis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, seu & pastores vaccarios, porcarios, veruecarios, cum gregibus eorum, vel cum appenditijs suis, id est, Baidalingo, Mathofouillare, vel portionem nostram in Oxiuillare;

uillare; exceptis hominibus illis, quos per epistolas nostras ingenuos relaxauimus.

Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas, vineæ pedecuram vnã in monte Viennensi, cum vitatore, nomine Alitfrido, cum omni peculiari suo.

Ista omnia, vt dixi, ad ipsa loca Sanctorum, vel vobis, à die præfenti, tradimus atque transfundimus, ad gubernandum vel ad dominandum: ea ratione, vt quidquid de re superius memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem.

Nam si quis contra hanc chartulam donationis meæ venire tentauerit, inferat fisco aurilibras decem, argenti pondo viginti, manente nihilominus firmitate.

Actum Treueris, sub die Kalend. Nouembris, anno IV. domini nostri CHILDEBERTI Regis.

Ego Huncio in Christi nomine presbyter hanc chartulam donationis, iubente domina mea Irmina, perscripsi: & ipsa subter manu propria, vnã cum testibus, firmavit, & qui subscripserunt, in præfenti rogauit.

Ego IRMINA in Christi nomine hanc donationem relegi.

Basinus Episcopus.

Leodouvinus Episcopus.

Theodefridus presbyter.

Waltharius diaconus.

Gangbertus presbyter.

Hudobertus presbyter.

NOTATIONES.

DE S. IRMINA) Abbatissa ac fundatrice monasterij Horreenfis in vrbe Treuerensi, itemque de S. Willibrordo fusè differui in Fastis & Annal. Belgicis.

BASINVS) primùm Abbas S. Maximini Treuerensis, post Archiepiscopus Treuerensis.

LEODVVINVS) seu Leodeuvinus, nisi fallor, fuit auunculi sui Basini successor in Episcopatu seu Archiepiscopatu Treuerensi: quem alij nuncupant Leduuinum seu Lutuuinum, & scribunt fuisse Abbatem

batem ac fundatorem monasterij Mediolacensis. Viuente autem auunculo suo, potuit Leodeuvinus seu Leduvinus fuisse Episcopus, ad conuersionem gentium ordinatus, more illius aui.

VIENNENSI MONTE.) Designatur Vianen seu Vianden opidum, in ditone Luxeburgensi, Comitatus titulo clarum, ad gentem Nasauiam pertinens: vt supra pag. 209 dixi.

SVB DIE kal. Nouembris.) Theofridus Abbas Epternacensis, in ms. historia S. Willibrordi, dicit, in Kalendis Decembris.

ANNO IV. Childeberti.) Annus quartus Childeberti Regis occupat partim annum Christi 698. partim annum 699.

Ceterum Irmina dedit S. Willibrordo portionem suam in villa Epternaco, hoc est, medietatem opidi Epternacensis: cuius opidi muris inclusa est illustris Abbatia monachorum Benedictinorum, S. Willibrordi nomine & sacris ossibus clara.

Alteram dicti opidi medietatem Pipinus Herftallius, Maior domus regiae, dedit eidem S. Willibrordo, anno XII. regni eiusdem Childeberti: vt citato loco idem Theofridus narrat.

CAPVT V.

*Childebertus Francorum Rex Solemium, agri Fanimartensis
villam, dat monasterio S. Dionysij in Francia,
anno 705. aut 706.*

CHILDEBERTVS Rex Francorum, vir iustus. Si aliquid ad loca Sanctorum vel monasteria, quae pro oportunitate locis Sanctorum pertinent, praestamus vel concedimus, hoc nobis ad laudem & aeternam retributionem, in Dei nomine, profuturum confidimus.

Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas omnium tam praesentium quam futurorum, quod nos villa nostra nuncupata SOLEMIO, quae ponitur in pago Fanomartinse, super fluuio Saue, vna cum omni mercato vel adiacentia sua, & quidquid fiscus noster tam de garantia quam de merceria ibidem tenuit, vel de qualibet constuma ibidem possiduit, etiam & oratorio illo ad Crucem, quae subiungit, ab ipso termino de ipsa villa Solemio, quae est constructa in honore S. Martini, cum omnibus suis, quae ibidem adspiciunt, vbi MADAL-

GISELYS